20225 N.17
Lane Medical Library

DE

RHACHITIDE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXX. MENS. JUNII A. MDCCCXXXVII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HENRICUS CREMER
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

A. WILCKINGHOFF, MED. ET CHIR. DR.
H. ZUMNORDE, MED. ET CHIR. DR.
A. STEGEHAUS, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0252

PATRUO

JOSEPHO CREMER,

REI VEHICULARIS PUBLICAE PRAEFECTO,

NEC NON

J. CHRISTOPH. MARKERS,

REGI A CONSILIIS JURISDICTIONIS PROVINCIALIS ET URBANAE,

VIRIS SUMMOPERE COLENDIS

HASCE

QUALESCUNQUE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Rhachitis, rachitis, tabes pectorea Bootii, cyrtosis, innutritio ossium Darwini, osteomalacia infantum Harlessii, Germanis die englische Krankheit, abgesetzte Glieder, morbus ille plerumque infantilis dicitur, in quo ossium processus articulares intumescunt, capitis volumen augetur, ossa cylindrica ob morbosam mollitiem incurvantur, columnae vertebralis situs naturalis dislocatur, abdomen maxime tumet, reliquum vero corpus contabescit.

HISTORIA.

Veterioribus hic morbus, quamquam alio sub nomine, haud dubie jam notus fuit. Quae Hippocrates de ossium morbis, et Galenus (1) de gibbis cujusvis generis disserunt, sat evidenter demonstrant, hosce medicinae patres non accuratas quidem, sed aliquas tamen, hujus morbi notitias habuisse.

---

(1) Hippocr. de articulis; Galen. comment. 3.

Saeculo 16. Italus Joan. Bapt. Theodosius, medicus Bononiensis, in epistolis medicinalibus, quas anno 1554 edidit, morbum cujusdam infantis his verbis describit:

»Ejus temperamentum declinat ad frigidum et hu-»midum, ex quo color totius cutis pallidus redditur, ita ut »ad cachexiam tendere videatur, et multae in eo crudi-»tates generantur. Affectus est debilitate virtutis moti-»vae, ita, ut, cum mensium 17 sit, non possit ullo pacto »se movere vel stare, et, cum in ulnis a nutrice defertur, »vix caput potest erectum tenere. Symptoma aliud om-»nium saevissimum est vertebrarum trium in costis no-»this ad exteriora declinatio, et est modus gibbositatis, »et in modum arcus costae etiam incurvari incipiunt.«

Paulo post et in Batavia atque Helvetia rhachitidem observatam fuisse, Reusneri dissertatio, Basileae 1582 edita (1), testatur.

Nec minus hunc morbum illo tempore in Gallia jam notum fuisse, ex Formii observationibus, quas 1593 edidit, sat elucet. Haec enim habet:

»Saepe pueri duorum annorum cum progredi inci-»piunt, vari esse consueverunt; de quo matres sollicitae »auxilium quaerunt a chirurgis, qui plerumque variis ma-»chinis tibias et crura exigere conantur, sed frustra; quia »sponte naturae utplurimum circa 3 aut 4 annum tibiae »et musculi firmantur, partes ad naturalem statum redeunt.«

---

(1) Barthol. Reusner, diss. de talu infantum. Basil. 1582.

Saeculo 17. hic morbus in Anglia frequentius, quam antea, occurrit, ac majori simul cum vehementia saevire coepit. Inter annos 1612 et 1620 in Angliae comitatibus Dorset et Sommerset frequentissime observatus et ab Arnoldo de Boot (1) descriptus est.

Primus autem, qui prioribus exactius ac fusius hunc morbum descripsit, fuit Glisson, in academia Cantabrigiensi medicinae professor, qui in tractatu (2) suo de rhachitide, novum esse hunc morbum et inter annos 1612 et 1620 in Anglia primum observatum, palam professus est.

In Germania ante dimidium saeculi 17. rhachitidem apparuisse, refert Storch (3); sub finem enim hujus saeculi senes 80 et 90 annorum, manifestas rhachitidis infantili aetate exantlatae reliquias exhibentes noverat.

SYMPTOMATOLOGIA.

Infantes plerumque inter sextum a partu mensem et tertium aetatis annum rhachitide corripiuntur. Hilaritatem suetam amittunt. In junioribus, qui adhuc nutricum brachiis gestantur, non amplius observatur continua illa totius corporis artuumque agitatio ac jactatio, quam in sanis ejusdem aetatis videmus. Adultiores, si morbo infe-

---

(1) Bootius de affectibus amissis ad calc. Pet. Borelli observ. med. 1648. C. 12.

(2) Glisson, tractatus de rhachitide Rickets dicta. Londini 1650.

(3) Storch, Abhandlung von Kinderkrankheiten.

stantur, morosi et ignavi ludos infantiles spernunt, et gravitatem senilem prae se ferunt.

Animi dotibus interim plerique excellunt.

Cutis totius corporis turgore vitali carens, tumida, pallida, morbo ad mortem jam vergente flaccida redditur, ita ut a partibus subditis facile elevetur; facies tum temporis faciem senum decrepitorum aequat.

Musculi debiles, attenuati, omnes corporis motus imbecillos atque tardos reddunt; quo fit, ut infantes hoc morbo affecti, non tempore, quo in sanis ejusdem aetatis fieri solet, pedibus insistant, aut ubi jam ambulaverint, ambulandi facultatem omnino interdum amittant.

Loquendi facultas justo serius accedens ob debilitatos musculorum motus exigua est, loquela difficilis.

Collum ob musculorum gracilitatem tenue, capiti sustinendo impar.

Ob musculorum, qui respirationi praesunt, debilitatem, respiratio difficilis et imperfecta.

Cordis ad propellendum sanguinem vis imminuta; hinc pulsus parvus, inanis, facile comprimendus, hinc turgoris vitalis defectus et magna illa, quae in hoc morbo observatur, virium jactura.

Totum systema vasorum debilitatur; venae, capitis praecipue, justo capaciores per cutem extenuatam transparent.

Abdomen tumidum ob auctum hepatis volumen; digestio laesa; voracitas; halitus oris acidus; alvus nunc obstipata, nunc fusa.

Maxime vero in describenda rhachitide systematis ossium vitia sunt notanda, tum quod nulli alii morbo competunt, tum quod, etiamsi morbus sanetur, reliquam vitam miserrimam reddunt.

Dentes solito tardius, nec raro praeter debitum ordinem, ita, ut nunc dens molaris, nunc incisivus emergat, apparent.

Carie corripiuntur, nigrescunt, brevi excidunt.

Suturae cranii volumine aucti justo minus coalescunt; fonticuli aperti, os frontis prominens; tempora depressa sunt.

Epiphyses ossium, imprimis extremitatum, tumescunt, unde denominatio: enfans noués, Dubling of the joints, doppelte Glieder.

Ossa ipsa cartilagineam acquirunt mollitiem, et pondere corporis vel musculorum actione vario modo curvantur.

Extremitatum ossa cylindrica, os femoris et humeri, radius, ulna, tibia et fibula, prae ceteris huic affectioni submittuntur. Quorum epiphyses tempore, quo infantes jam pedibus ad sustentandum corpus uti solent, nondum in substantiam osseam abierunt.

Columna vertebrarum nunc extrorsum flexa gibbum format in dorso (*κυρωσις*); nunc introrsum curvata est (*λορδωσις*); nunc ad latera vergit, ita ut literae S formam exhibeat (*σκολιωσις*).

Costae applanatae, imo incurvatae, tanquam antea

fractae fuissent, et ubi sterno junguntur, nodis obsitae sunt.

Sternum prominens, claviculae intortae.

Unde oritur illa thoracis coarctatio, quam pectus carinatum vocant.

Iisdem, quas in toto ossium systemate observamus, mutationibus morbosis pelvis quoque afficitur.

Nunc apertura superior, nunc inferior, nunc cavitas pelvis debito est angustior: nunc diametri rectae, nunc transversae, nunc obliquae aberrant; nunc nimia, nunc fere nulla pelvis inclinatio; haud raro os ilium unius lateris altius, quam alterius situm.

Ossa licet mollissima sint, plures tamen auctores eorum fracturas commemorant; sic celeb. Petit (1) dicit: »Animadvertere oportet, ubi mollities ossium est magna, »os humeri non modo curvari, ita, ut extrorsum fiat con»vexum, et introrsum concavum circa insertionem deltoi»dei musculi et ortum brachialis antici, sed etiam (hoc »ipso in loco) reperiri saepissime semifractum, id, quod »saepius vidi. Malum hoc non modo humeri ossi acci»dit, sed saepe etiam costis, et parti mediae ossium fe»moris crurumque.«

Illae ossium destructiones tantum in extremitatibus occurrentes, si turpitudinem quandam excipias, sine magno corporis detrimento ferri solent.

---

(1) Petit, Traité des maladies des os p. 547.

Vitia pelvis efficiunt, ut partus modo magna cum difficultate, imo nullo pacto fieri possit.

Pectoris coarctatio impedit, quominus pulmones et cor, qua debent, integritate functionibus suis praesint; hinc respirationis permagna difficultas, asthma, inflammationes pulmonum et pleurae, phthisis, hinc multiplices variis in organis stagnationes et obstructiones; hinc haemorrhagiae et extravasata.

Oritur hydrops, nunc anasarca, nunc ascites, nunc hydrothorax, nunc, et frequentissime quidem, hydrocephalus internus.

Causa, quod hic infantibus rhachitide afflictis tam saepe supervenit, in hisce momentis ponenda videtur.

Febris, quam natura tempore dentitionis inducit, majorem sanguinis impetum ad caput allicit, ut in capsulis dentium illa oriatur secretio, qua radices eorum formentur.

Quae si bene succedit, et impetum sanguinis a cerebro derivat, febrem ipsam velut crisis solvit; si male evenit, ut in rhachitide fieri solet, febris perdurat, iterum atque iterum recrudescit, et irritamentum cerebro infert, quo exhalatio justo copiosior efficitur.

Non minus ad procreandum hydrocephalum illae in venis cerebri relaxatis stagnationes conferunt.

Cum denique constet, resorptionem humorum pressione augeri, non immerito cerebri diminuta compressio ob dilatata cranii ossa accusanda esse videtur. Ex primario vasorum resorbentium morbo hydropem cerebri internum originem ducere, dubitandum est, nam in rha-

chitide hujus systematis actio magis aucta, quam diminuta, observatur.

Infantes, qui hoc simul morbo laborant, stupiditate a sanis ejusdem aetatis distinguuntur.

Rhachitis, nisi vel per morbos illos consecutivos, quibus febris lenta supervenit, tenellos perimit, vel remediis prudenter adhibitis debellatur, ad quintum usque vel septimum aetatis annum perdurat, rarius ad pubertatis periodum decurrit. Attamen hoc ipso tempore in puellis chlorosi affectis et in pueris observata est; imo nonnulla exempla, adultos correptos esse, docent. Sic Portal (1) exemplum affert juvenis 17, Thomassin (2) juvenis 18, Burggraf (3) virginis 40, viri 50 annorum, rhachitide correptorum, et Tacco (4) de foemina refert, quae tertio aetatis anno rhachitide correpta, usque ad 40 annum ea laboraverat.

CADAVERUM SECTIONES.

Hominum rhachitide interemtorum sectione praeter illa, quae et in vivis observantur, haecce innotuere phaenomena:

Rigoris cadaverum soliti defectus; musculi pallidi

---

(1) Anton Portal, Beob. üb. d. Natur und Behandlungsart d. Rhachitis, oder die Krümmungen des Rückgrats, der obern und untern Extremitäten, aus dem Franz. mit Anm. Leipz. und Weissenfeld. 1798. 8.

(2) Journal de médecine T. XLIII. p. 222.

(3) Burggraf, de aëre aquis et locis Francofurtensibus etc.

(4) Tacconi Comment. Bonon. Vol. 5. P. 2. p. 81.

summe macilenti, faciles ruptu; ossa mollissima, ita, ut cultro secari possint, nodis passim obsita, superficiem glabram, si comprimis, exhibentia, medullam justo tenuiorem continentia; cavitates corporis sero repletae; vitia pulmonum et cordis; hepatis ac saepe lienis volumen auctum, bilis colore non tam intense viridi praedita, tenuis, sapore vappido, sanguis aquosus, viscidus; venae dilatatae.

Complures auctores his etiam glandularum mesaraicarum obstructiones et intumescentias adnumeraverunt, quae potius ad morbum scrophulosum referendae esse videntur.

DIVISIO.

Varia variis ab auctoribus rhachitidis divisio instituitur. Glisson (1) rhachitidem dividit in incipientem, confirmatam, consistentem, deploratam, remittentem, migrantem ad alium locum; Cullen (2) in simplicem et complicatam. Morbi vero, quibuscum rhachitis complicationem init, praecipue hi sunt: scorbutus, lues venerea, atque scrophulosis. Portal (3) causas respiciens octo species statuit: rhachitidem veneream, scrophulosam, scorbuticam, exanthematicam, arthrico - rheumaticam,

---

(1) Glisson l. c.

(2) William Cullen, Anfangsgründe der praktischen Arzneikunst. B. 4.

(3) Portal, l. c.

rhachitidem, quae ab obstructionibus viscerum pendeat, quae castrationem sequatur, denique quae abnormi musculorum contractione oriatur.

Ab aliis auctoribus rhachitis in imperfectam et perfectam dividitur. Imperfecta iis est levior ille hujus morbi gradus, ubi ossa nondum incurvata sunt, et febris lenta deficit; perfectam vero illam perhibent, quae omnibus rhachitidis symptomatibus stipatur. Stoll aliique eam dividunt in hereditariam, congenitam, acquisitam et endemicam.

Congenitam rhachitidem existere, celeberrimi medici, uti Boerhaave (1), van Swieten (2), Zeviani (3), Winkler, Cappel (4) et Clossius (5) negarunt; at alii rem extra dubitationem posuere.

Klein, qui rhachitidem congenitam se nunquam vidisse dixerat (6), anno subsequente cum filio casum rhachitidis congenitae observavit, quem hic sequentibus verbis describit (7):

---

(1) H. Boerhaave aphorismi de cognoscendis morbis §. 1481.

(2) Van Swieten Comment. in H. Boerhaave aphorismos T. V.

(3) Giov. Zeviani trattato della cura di bambini attacati della rhachitide. Verona 1761. Comm, Lipz. Vol. 12. p. 414.

(4) J. F. L. Cappel, Versuch einer vollständigen Abhandlung über die sogenannte englische Krankh. Berl. u. Stett. 1787.

(5) Clossius, Knochenkrankheiten p. 219.

(6) J. G. Kleinii interpres clinicus medicus. Ed. prima. Francof. et Lips. 1753.

(7) Joh. Henr. Klein Diss. sistens casum rhachitidis congenitae. Augentorati 1763. V. etiam in nov. act. nat. cur. Vol. I. obs. 38.

»Mense Augusto anni 1754 rustica atrabilaria ab- »soluto tempore parit gemellos feliciter. Alter corpore »rite constructus, at debilis, adhuc superest; alter morbo- »sae conformationis, quem verbis depicturus jam sum, »decem modo inter vagitus vivebat dies. Multo rogatu »obtinui licentiam, inspiciendi saltem proxima nocte emor- »tuum. Judicavi corpusculum, a violentiae vel putredi- »nis vitio integrum, tres ulnae Erancofurtensis quadran- »tes forte longitudine aequare, ceteroquin tenue, lanugine »longa obsitum, maxime in facie et vere rhachiticum; »caput quippe in proportione ad reliquas partes justo »majus erat, et in occipite tuberosum: facies verissime »repraesentabat eam, quae est decrepitis senibus; pectore »a lateribus quasi compresso; costae, in cartilaginum lo- »cis nodosae, ad collum emergebant prope obliquo iti »nere, ita, ut dextrae sinistris essent altiores, sterno simul »prominentiore. Abdomen apparebat insigniter tumefa- »ctum, cuncti at corporis musculi emaciati, laxa cincti »cute; notabilis videbatur protuberantia epiphysium ad »juncturas radii, ulnae, genu, tibiae, fibulae, cum spinae »dictorumque ossium incurvatione et latitudinis intuitu »augmento; os ischii sinistrum dextro altius sedebat, pe- »demque idcirco dextrum laevo longiorem metiebatur »manus, absque femoris sinistri noscenda luxatione aut »fractura, nec ulla ad hos locos inflammatione tumidita- »teque perspicua. En! rhachitidem connatam! Extremum »pedem dextrum simul animadvertere contigit, tribus modo »instructum digitis, cum perone articulatum fuisse; tibia,

»integumentis munita communibus, mediam extrorsum ab »ea vergente unciam, supra cujus inferiorem extremita- »tem pollex pedis haerebat.«

J. F. Meckel (1) dicit: »Ich habe einige Fälle »von angeborner Skoliose und Lordose vor mir, und »Fleischmann (de vitiis congenitis circa thoracem et »abdomen pag. 8 et 9.) beschreibt mehrere Fälle an- »geborner Krümmungen der Wirbelsäule nach allen Rich- »tungen.«

Heister (2) et Morel apud Vandermonde (3) similem casum rhachitidis describunt.

Sufficiant haec ad comprobandam rhachitidem congenitam multis negatam. Raram vero esse congenitam, et ad exceptiones, ut dicunt, modo referendam, negari nequit.

CAUSA PROXIMA.

Medicorum sententiae in determinanda proxima rhachitidis causa maxime inter se differunt. Antiquiores auctores acrimoniam peculiarem, cujus natura aut (4) ignota sit, aut (5) e lue venerea, aut (6) ex acido primarum

---

(1) Meckel, Handbuch der pathologischen Anatomie. 2. Bd. 1. Abth. Leipzig 1816. §. 351.

(2) Heister, diss. de rhachitide p. 19

(3) Recueil period. Tom. 7. Juill. 1757. p. 434.

(4) Selle, medic. clin.

(5) Boerhave l. c.

(6) Rosenstein, Kinderkrankh.; Cappel l. c.; Truka de Krzowitz, historia rhachitidis. Vienn. 1787. Zeviani

viarum originem ducat, pro proxima hujus morbi causa habuerunt.

Alii, systema nervorum respicientes, medullam spinalem spiritibus imperviam (1), aut spiritus ipsos abnormes (2) accusant.

Recentioribus temporibus causa proxima rhachitidis in abnormi functione systematis vasorum resorbentium ponitur, eo autem discrimine, ut alii (3) debilitatem, relaxationem et diminutam actionem vasorum resorbentium, alii (4) vero irritationem eorum, resorptionemque adauctam accusent.

Renard (5) et Haase (6) putant, vasis periostei nimiam acidi phosphorici quantitatem parari, hinc terram

---

l. c. Wendelstatt in Hufelands Journal der praktischen Heilkunde. 12. Bd. 2. St.

(1) Glisson l. c. Portal, précis de chirurgie pratique etc. T. I.

(2) Bosquillon bei Cullen.

(3) Cullen l. c. Jahn, neues System der Kinderkrankh. Rudolstadt 1807. S. 594.

(4) Sömmering de morbis vasorum absorbentium. Francofurti 1795. Ern. Frid. Guil. Heyne, diss. de vasorum absorbentium ad rhachitidem procreandam potentia. Gottingae 1792. 4. Girtanner über die Kinderkrankh. Joh. Wilh. Heinr. Conradi, Grundriſs der Pathologie u. Therapie. 2. Th. 2. Bd. Marburg 1816. Consbruch, klinisches Taschenbuch für praktische Aerzte.

(5) J. Cl. Renard, Vers., die Entstehung und Ernährung, das Wachsthum und alle übrigen Veränderungen der Knochen zu erklären. Leipzig 1803. 8.

(7) Wilh. And. Haase, über die Erkenntniſs u. Cur der chronischen Krankh. B. 3. S. 338.

calcariam resolvi, et in systema vasorum reduci, unde per renes excernatur. At periosteum nil aliud ad nutritionem ossium confert, quam ut iis vasa nutrientia adferat; neque bona neque mala valetudine acidum phosphoricum secernit.

Qui debilitatem atque torporem vasorum resorbentium accusant, ad vasa chylifera hunc referunt, ita, ut justo minor copia terrae calcariae in sanguinem pervehatur.

De rhachitide, quae in provectiore scrophulosis gradu observatur, et glandularum mesaraicarum obstructionem sequitur, recte quidem hoc judicari potest.

Cum vero constet, in rhachitide multum calcariae phosphoricae et quidem acidae cum urina excerni, opinio eorum, qui proximam rhachitidis causam in adaucta calcariae phosphoricae resorptione simulque in aciditate humorum collocant, probabilis redditur. Est enim in ossibus calcaria phosphorica basica, quam acidam natura reddere studet, ut crasin sanguinis integram restituat; indeque ejus resorptionem adauget. Neque vero quidquam hunc in finem interest, utrum calcaria in ossa abeat, nec ne; et dubitandum est, ex malo sanguine bonam evenire ossium nutritionem.

Si in sanguine principium acidum ponimus, res forsan ita se habet, ut calcaria phosphorica, cum illo sal acidum constituens, in ossibus, quorum substantia cum ea affinitatem nullam habet, non secernatur, aut secreta hac ipsa de causa statim resorbeatur.

Quod chemici acidum in sanguine non invenerunt, revera deesse, non certo nobis persuadet, etenim non invenitur, quia semper excernitur; tales autem processus chemicos in corpore organico evenire vix credere licet.

Propius ad veritatem opinio eorum accedere mihi videtur, qui acidum primarum viarum non causam, sed effectum hujus morbi habent, imprimis, cum et alia excreta, ut sudor et urina, acidam prae se ferant naturam.

Sanguinem, sive acidum, sive nimiam carbonii quantitatem contineat, sive sit mucosa, aquosa, aut alia, quam malis, natura, neque cerebro, neque cordi atque musculis illum, quo opus sit, stimulum adferre, constat.

Unde cerebri ad motus excitandos et nutritionem gubernandam imminuta vis; circuitus sanguinis languor, motuumque imbecillitas ac tarditas.

Nutritionem vero ossium prae ceteris corporis partibus aberrare, partim ex ipsa musculorum iis affixorum inertia, partim ex defectu calcariae deduci posse mihi videtur. Calcaria vero deficit, aut quia justo minor ejus copia sanguini per vasa chylifera advehitur, ut in obstructione glandularum mesaraicarum, aut, quia natura novam materiae osseae secretionem, ut in dentitione, instituit.

CAUSAE REMOTAE.

1. Causa disponens.

Dispositione hereditaria rhachitidem per parentes ad prolem propagari, experientia evidentissime docet. Glis-

son (1) et Rosenstein (2) quidem dubitant de hereditaria hacce a parentibus ad infantes propagatione, at numerosissimas et castissimas Storchii (3) observationes rem extra dubium ponere arbitror. Quamvis ergo seminium hereditarium negari nequeat, plerumque tamen imbecillitas atque debilitas causam hujus morbi disponentem constituit.

Ditiores, lautiori ac opipara mensa gaudentes, otiosam, sedentariam et molliorem vitam degentes ac debiliori simul constitutione praeditos parentes debilem creare progeniem, Boerhaave (4) testatur.

Sed ab illa quoque hominum classe, quae operaria dicitur, si rei domesticae penuria premit, si fontes desunt, unde maxime necessaria, victus et amictus, petantur, prolem ad rhachitidem opportunam gigni, experientia pariter docet. Parentum cachexias tandem, uti scorbutum, scrophulas, arthritidem, luem inveteratam (5), (licet alii (6) hanc innocentem credant), medorrhoeam (7), et plures hujusmodi morbos, infantes ad rhachitidem propensos reddere, vix dubitandum esse credo.

---

(1) Glisson l. c.

(2) Rosenstein l. c.

(3) Storch l. c.

(4) Boerhaave l. c. §. 1482.

(5) Ibidem.

(6) van Swieten l. c.

(7) Störck ann. med. 2. p. 215.

2. Causae occasionales.

a) Causae occasionales rhachitidis congenitae sunt:

1) Morbi gravidarum valde debilitantes, uti haemorrhagiae, diarrhoea protracta, febres nervosae, dysenteria

2) Animi pathemata, vis imaginationis. An et illa vis imaginationis, quam Germani das Versehen der Schwaugern appellant, revera existat, medici adhuc disceptant. Caeteroquin, quantopere animi pathemata et vis imaginationis in gravidam et foetum agant, neminem medicorum latet.

3) Causae mechanice in uterum agentes, uti ictus, plagae, lapsus, usus strophiorum, seu thoracum linteorum (Schnürbrüste); vehementiores corporis motus, uti equitatio, saltatio etc.

4) Vitia organica uteri, excrescentiae, carcinoma etc.

b) Causae occasionales rhachitidis acquisitae et hereditariae.

1) Aër depravatus, humidus, frigidus cum lucis defectu. Qui impedit, quominus pulmones et cutis ea, qua debent, integritate functionibus suis praesint. Sanguis inde substantiis serosis et carbogenio abundans, vi sua vitali maximam partem destituitur atque constitutionem laxam et frigidam cum infantibus communicat.

Endemica rhachitis occurrit in regionibus et locis maritimis, paludosis, humidis; hinc in Anglia, Batavia, Insubria, in quibusdam Germaniae et Galliae regionibus frequentissime observatur.

2) Prava nutrimentorum indoles. In infantibus, quibus ubera adhuc praebentur, lac malae indolis, variis causis, ut animi pathematibus, morbo matris, vel cibis, quibus mater fruitur, depravatum; matre autem infantem non lactante, vel lactationis tempore jam elapso, omnia illa nutrimenta, quorum aut mala conditio est, aut quae infantili aetati non respondent. Huc spectant pultes farinosae, nonnunquam acescentes, panis cibarii abusus, omnia pinguia.

3) Mundities neglecta. Matres ex infima plebe, dum labori indulgent, infantes non raro per dimidiam, imo per totam diem in cunis cubantes, urina et faecibus inquinatos relinquunt, lintea lectuli et lintea, quibus infans munitur, conspurcata rarissime novis permutant, balneorumque ac lotionum usum, parvulis saluberrimum, omnino negligunt.

4) Buechner (1) dentitionem quoque accusat, haec habens: »Morbus, quem nos quidem non aliter, quam a »dente ortum observavimus; dentitio ergo ipsa nobis vera «causa esse videtur, quae in subjecto per alias causas »disposito rhachitidem determinet.«

5) Balneorum tepidorum abusum van Swieten (2);

6) Manstuprationes Baldinger (3) et Thomassin (4),

(1) Joan. Buechner Diss. de rhachitide perfecta et imperfecta. Argentorati 1754. §. 13 et 18.

(2) Van Swieten l. c.

(3) Baldinger's N. Magazin. II. B. S. 52.

(4) Journal de médecine. T. 43. p. 222.

7) scrophulas Oetinger (1) accusant.

8) Morbos varii generis, inprimis debilitantes, multam ad rhachitidis evolutionem contribuere, verisimillimum est. Febres intermittentes autumnales Boerhaave inprimis accusat.

Custodum et nutricum negligentia ac mala tractatio, ne dicam ad rhachitidem stricte sic dictam, sed ad ossium deformitates, haud parum conferre mihi videtur. Frequentissime singulae causae occasionales, de quibus sermo fuit, occurrunt, quin rhachitis evolvatur. Forsan plurimum syndrome, inprimis vero dispositio, forsan et aliae conditiones adhuc ignotae, ad rhachitidis evolutionem requiruntur.

PROGNOSIS.

Rhachitis imperfecta, praesertim acquisita, bonam prognosin admittit; saepe sponte naturae, sola vi aetatis, praecipue vero cura corporis congrua, aliisque faventibus conditionibus, in sanitatem transit. Infantes, qui perfecta et evoluta imprimis hereditaria rhachitide laborant, raro ad perfectam sanitatem reducuntur. Eam sequuntur plerumqne curvaturae ossium, saepissime per totam vitam remanentes; aut, quae pejoris ominis sunt, hydrocephalus, hydrothorax, hydrops ascites, peripneumonia, phthisis, gangraena, tabes. Rhachitis congenita vix non semper infantes trucidat.

---

(5) Oetinger Diss. de viribus rubiae tinctorum antirhachiticis. Tüb. 1769. §. 49.

CURATIO.

In rhachitidis, ut cujusvis alius morbi, curatione primum id esse debet, ut causas nocentes tollamus.

Morbos igitur debilitantes, ut diarrhoeas et febres intermittentes, supprimi et regimen diaeteticum bene institui, necesse est.

Diaeta in rhachitide maximi sane est momenti; qua congruente, morbus sola vi medicatrice naturae interdum sanatur.

Aër campestris, montanus regionum calidarum, imprimis aër vernalis et aestivus, infantibus rhachiticis maxime conducit (1); sit igitur aër semper siccus, modice calidus, ac purus.

In vestimentorum mutatione prospiciendum est, ne illa humore scateant, aut non nisi suffumigata vaporibus baccarum juniperi infantibus induantur.

Suppressa cutis transspiratio per balnea tepida, siccas frictiones, et saepe mutata sicca vestimenta, restituenda est.

Cubile sit siccum, nec nimis molle, quippe quod ossium incurvationibus nimis faveat.

Victus sit bene nutriens ac eupeptus, itaque magis animalis, quam vegetabilis.

Lactationis tempore non elapso, lac maternum in-

---

(1) v. Humboldt, Versuche über die gereizte Muskel und Nervenfaser 2 B. S. 185 — 211. Ackermann l. c.

fanti optimum praebet alimentum. Si autem ob quascunque causas mater infanti ubera praebere nequeat, lacti materno optime lac vaccinum vel juscula ex carne vitulina substitui possunt.

Facilioris digestionis causa cibis, qui saepius, sed parca manu parvulis praebendi sunt, aromata mitiora addi solent. Maxime autem cavendum est, ne cibi longius ante tempus parati, aut vasis non purgatis contenti jam acescentes, infantibus suppeditentur.

Vires infantum musculares instaurandae sunt per motus nunc activos nunc passivos, in puriori aëre, locis apricis institutos.

Regimen diaeteticum quamvis multum ad sanandam rhachitidem valeat, plerumque tamen medicamentis et internis et externis opus erit. Quae, cum in rhachitide torpor ac debilitas omnium functionum symptoma sit praevalens, ex classe aromaticorum et roborantium desumenda sunt. Hoc vero tenendum praeceptum est, ne ventriculo imbecillo fortiora statim remedia, quae concoquere ille nequeat, ingeras. Hinc, si digestio laesa est, abdomen valde tumet, alvus obstipata est, acidum vel flatus primis in viis observantur, hepar, lien, et glandulae mesentericae infarcta sunt, a stomachicis et laxantibus curatio incipienda erit; cui scopo respondent amara e. g. extractum graminis, taraxaci, gentianae. trifolii, rheum, cum lenioribus aromaticis, e. g. cum aqua foeniculi, seminum anisi, syrupo corticum aurantiorum etc.

Acidum primarum viarum si adest, absorbentia al-

calia nempe et terras exigit, e quibus medici practici primum locum magnesiae concedunt.

Sordes vero, ut veterum denominatione utar, si sursum turgescunt, emetico, et vermes si adsunt, anthelminticis remediis opus est. Si tali modo digestio ad normam reducta, acidum ablatum, alvus liberior facta, flatulentia fugata et viscerum infarctus soluti sunt, tum demum, ut et caetera symptomata: laxitas corporis, mala sanguinis indoles ossiumque vitia debellentur, ad roborantia transeundum esse arbitror, et inter haec quidem glandes quercus, cortex peruvianus et martialia praestantissima laudantur. Ut melius ferantur, aromatica vel spirituosa eis adjungi solent. Optimo cum fructu in clinico pro infantibus, cui praeest Celeb. Barez, haecce formula adhibetur:

℞. Tinct. ferri pomati ʒI
Tinct. rhei vinos. ʒII
M. D. S. bis per diem gtt. XV — XXX.

An rubia tinctorum, quam Levret (1) celebravit, vel radix calami aromatici et caryophyllatae, vel radix osmundae regalis a Cherli (2) laudata, vel acidum phosphoricum, vel alia remedia sic dicta specifica specifici aliquid habeant, medici experientia magis edocti, omnino dubitant.

Nuperrimis temporibus oleum jecoris aselli etiam contra rhachitidem in usum vocatum, experientiae testimoniis autem nondum probatum est.

---

(1) Levret art. des accouchemens §. 1431.

(2) Cherli rare osservazioni di medicina etc. p. 133.

Quod ad remedia externa attinet, imprimis balnea aromatica, martiata et frictiones adhibenda sunt.

Stark (1), Cullen (2), Bromfield (3) et Armstrong (4) balnea frigida in rhachitide saluberrima esse credunt; imo Cullen balneum frigidum prophylacticum rhachitidis remedium habet.

Floyer (5) immersiones in aquam frigidam, et superfusiones ejus, summum rhachitidis remedium esse opinatur. Darwin (6) contra balnea frigida nocere affirmat.

Frictiones quoque cutis, aut siccae aut substantiis spirituosis institutae, fumigationes ex materiis aromaticis, nec non enemata tonico-solventia a medicis laudata sunt.

Machinae denique varii generis ad ossium deformitates corrigendas excogitatae sunt, de quibus prolixius scribere, nec in animo est, nec angusti dissertationis limites permittunt.

---

(1) Stark, Klin. Inst.
(2) Cullen, l. c.
(3) Bromfield, Journal de medécine T. 44.
(4) Sammlung praktischer Abhandlungen für Aerzte, B. 6. S. 4.
(5) Floyer the history of gold Bathings p. 54.
(6) Darwin Zoonomie VII.

VITA.

Natus sum ego Henricus Cremer Ludigusani, Guestphaliae oppido, anno hujus saeculi decimo tertio, die XXIX Mens. Sept.; patre optimo Joanne Christophoro, matre carissima Eva Guilelma, e gente Vielhaver, quos adhuc vivos pia mente veneror. Fidem confiteor catholicam. Primis literarum elementis domi imbutus, gymnasium Monasteriense, quod directore Cel. Nadermann floret, per sex annos frequentavi.

Testimonio maturitatis instructus et in eadem urbe ab Ill. Laymann t. t. rectore magnifico civibus academicis adscriptus, scholas, quae ibi habebantur de rebus philosophicis, frequentavi hasce: Cel. Esser de logice; Clar. Schlueter de psychologia; Clar. Schmedding de chemia; Cel. Becks de re herbaria et zoologia; Cel. Rohling de physice et astrognosia. Deinde adii institutum medico-chirurgicum, t. t. directore Beat. Bodde florens, et his interfui praelectionibus chirurgicis et medicis: Cel. Tourtual de anatomia generali ac speciali,

de arte cadevera rite secandi et de akiurgia; Cel. Busch de pathologia ac therapia generali; Cel. Haindorff de physiologia; Cel. Pelengahr de pathologia et therapia speciali; Cel. Klatten de chirurgia et arte fascias rite applicandi; Cel. Wirtensohn de materia medica.

Vere ineunte anni MDCCCXXXV ad celeberrimam universitatem Fridericam Guilelmam, quae Berolini floret, me contuli, et a t. t. rectore magnifico Ill. Steffens civibus academicis adscriptus et a facultatis medicae decano spectabili Ill. Busch in facultatis Album relatus, interfui praelectionibus: Ill. Wagner de medicina forensi; Ill. Busch de arte obstetricia; in exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, nec non obstetriciis, Ill Bartels, Cel. Wolff, Cel. Barez, Ill. Rust, Cel. Dieffenbach, Ill. Juengken, Ill. Busch ducibus gavisus sum.

Praeterea per annum sub auspiciis doctissimi Lesser chirurgi militaris munus voluntarius obii.

Quibus omnibus viris, maxime de me meritis, gratias quam maximas habeo, semperque habebo.

Tentaminibus tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione et thesibus defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Rhachitis et Scrophulosis non idem sunt morbus.
2. Homoeopathia non remediis, sed diaeta curat.
3. Fistula ani saepe operationem non admittit.
4. Graviditatis incipientis nullum certum signum.
5. Venas resorbere contendo.
6. In Prosopalgia dissectio nervorum rejicienda.